

Courtois, Paul - candidat / Patin, Guy -
président. - Estne totus Homo à
Natura morbus ?

1643.

*Paris : Prostant Exemplaria
apud J. Baptistam Nego,
Typographum, ad Pontem S.
Michaelis, à la Tour de Billy
Cote : ms 2322 n°37*



135
37

QVÆSTIO MEDICA, QVODLIBETARIIS DISPUTATIONIBVS

mane discutienda in Scholis Medicorum,
die Iovis XVII. Decembris,

M. GVIDONE PATIN,
DOCTORE MEDICO PARISIENSI,
& Scholarum Censore, Præfide.

Estne totus Homo à Natura morbus?



ITAM nullus acciperet, si daretur scientibus; ad eam enim cui patet ingressus, patet & ad miseriam, nec quolongior, melior, sed quomodo fabula, ita & vita: quàm bene, non quàm diu acta sit, refert. Primo respondet ultimus dies, utque illam à doloribus auspicamur, sic ab ea, vi laborum eiicimur. Medii temporis cursus vix motu tranquilliore peragitur: hunc nobiscum dividit somnus, & pars æqua morti similis exigitur aut pœnæ nisi contingit quies, reliquum tenent tormenta. Undique mala circumstrepunt, ubique bellum & insidiæ, nullibi induciæ, omnis dies, omnis hora nos mutat. Mundus in vnius hominis gratiam factus, videtur odio in ipsum plenus, ut per ea perniciem creet, per quæ nos tuetur & sustinet. Quin & putre hoc corpus, animi pondus ac carcer, tam malè conuenit nobis, ut quod evenit in alieno habitantibus, semper aliquid supersit aut desit. Hinc crebri dolorum morsus, & innumeri morbi, qui vel silentio subeunt, vel aperto Marte grassantur & sæviunt. Neque tam vario genere vivimus, quàm ægrotamus, & mors ut semel jugulet, sæpe nos experitur: quid quod non raro transferuntur morbi, numquam vero Sanitas? Dubium quoque an Natura melior Parens, an tristior noverca fuerit? brutis indulget animas, nobis animum quoque, sed sævâ mercede contra tanta sua munera: nam ut multi sint à corpore morbi, adhuc tamen plures ab animo. Neque verò acuendum est ferrum, aut temperanda sunt venena, ut partis utriusque infirmo vinculo cohærens societas dirimatur: Leui externarum injuriarum afflatu vitâ exuimur, penèque in id videmur nasci, ut vita defungamur. Nec à solis morbis afficimur, facessunt & negotium illorum prodromi, ipse Somnus, aliàs pars humanæ melior vitæ, etiam valentibus aliquid grave & periculosum minatur, ut & pervigilium, oris amaror & *aropegia*, biliosæ impuritatis propagines, sudores, humidioris hepatis indices; necnon ipsa Sitis, sive sit à Ventriculo, sive à Pulmone. Lassitudo multis modis no-

Editio Octava, anno 1666.

A



cet, quæ cum corporis triplex sit, & ad cuius depulsionem tota Medicina requiritur, est & ingenij, nec illa levis, imò supplicium insolens, & sedentium ad libros miserum stipendium. Viri etiam robustissimi non carent morbi suspitione, nec sunt extra omnem aleam: & sua sunt illis incommoda, parque per omnes tempestas. Imò & ipsa Athletarum euexia periculi plenissima est, nisi statim solvatur. Quicquid ad summum peruenit, ad exitum properat. Speciosa illa sanitas lubrica est: ipsi bene colorati debent habere suspecta sua bona, ut gladiatores suam saginam: qui enim foris splendent, intus sæpe sordent. Humanæ vitæ mimum componunt atque perficiunt grandia non minimis gaudia mixta malis: nullum tempus excipitur: medio de fonte lepōrum surgit amari aliquid quod in ipsis faucibus angat; bellum in media pace consurgit; inuadit temperatissimos morbus, validissimos febris; & morbi causas si alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit. Neminem eò bona valetudo prouexit, ut non tantum illi minaretur quantum permiserat: sed huic malaciæ ne fidito: mare momento vertitur: eodem die ubi luserunt nauigia, sorbentur, extrema gaudij luctus occupat. Ad hæc, præter solida mala quæ sæpe muliebriter ferimus, sæpius ad opinionem dolemus; & tam æger est quisque quam credit. Has tamen inter vitæ ne an mortis moras? homo æquæ superbum ac caducum animal, quasi non sentiat ire se, vel rapi eò quò eunt omnia, sibi æterna proponit, & in quantum potest ætas humana protendi, spe ac votis occupat: quodque miserrimum, quantò illi vita fragilior, quæ puncto tenui citata transit, tantò eius libido effusior: ut cum singuli dies tantumdem in mortem conferant, demens vltimum exhorrescat, eoque instante, vltiorem, si quem possis assuere, omni pretio coëmat: qui tamen dies omnino pauci semper erunt, si illos numeraueris: sed hoc habet inter alia, stolidi mortalitas incommodum, *Nemo sine querela moritur.*

IN SEMINE, è quo partes solidæ fiunt, & in sanguine menstruo, quo constant alunturque carnosæ, suas habent radices tam multa quibus conflamur incommoda, latèntque morborum & mortis germina, quæ & paria his ex quibus orta sunt, faciunt, & citius corpore adolefcunt. In illo viget repugnantia primordiorum, quæ ut viuendi causa sunt, ita & viæ mortis; nec minùs morborum elementa, quam corporum; ac licèt in permissio-nem quodammodo paria venerint, breui tamen, impari prælio sese vehementer exagitant; & dum in nos intus forisque sæuiunt, sanitatem quam fecere, subuertunt; adeo infida est ex contrariis origo. Est & à semine infusus calor, qui eadem manu nos fouet ac conficit; & quia salutarem humorem suâ efficientiâ furtim, sed auidius carpit, ipsum quoque se perimit: ita ut qui author est vitæ, idem sit & necis. Sanguis maternus, in quo & aliquod semper elementum regnat, dum corporis nostri partes alit, eas quoque suis vitis imbuit: & quamquam ea leuius quam semen in corpus inferat, maternos tamen affectus sæpius referimus quam paternos: ferè enim parentum in natos abeunt cum semine mores & morbi, vix vllis deinceps machinis abigendi: & quæ conditio est seminis, non rarò plus reddit quam acceperit. Hinc fatui fatuos generant, & qui vexantur arthritide, calculo, phthisi, epilepsiâ, morbo Punico, syphilide vel Indico, hepatico, splenico,

liberos edunt adeo similibus injuriis obnoxios, ut prius in sui perniciem experiatur mala, quam eorum possideant bona: plerumque enim morbi per successiones quasdam, ut alia traduntur. Hæc sunt Medicorum opprobria, hi affectus, in quos temporis non est præscriptio. Ad eorum censum ne referas pueris & mulieribus familiares papulas, Hippocrati & Galeno inditas & incognitas: non ab ulla sanguinis menstrui portione, non à maligna aëris qualitate, nullòque cæli aut aëris vitio in humanam gentem sæuiente vel propagato: sed ab insigni humorum putredine ortas, quæ licet sese tantum prædant in cute, quam vel describunt maculis, vel in pustulas attollunt, nihilominus in alto malum est, & in visceribus sedet. Ab iis non sunt immunes quibus è resecto umbilico copiosus sanguis effluxit, sed potius quibus primo vitæ biennio pulticulæ vltus subtractus. Præcipua curationis spes posita est in phlebotomia, quæ vel ineunte morbo, etiam in lactentibus, imò & in tenellula ætate, bimestribus, trimestribusque, vel post eruptionem (quam si difficilis fuerit, apprimè iuuabit egelidæ aquæ balneum) citò, tutò, & intrepidè administrata, fert omne punctum. Frustræ propinaueris lapidem bezoardicum, tam artis quam artificis scandalum: frustra stillatitias illas aquas de vlmaria & carduo benedicto, de quibus quæ dicuntur, nugæ sunt, verbæque inania: frustra decoctum lentium, vel hidrotica: frustra & famosas illas confectiones de cocco baphica, & hyacintho, non tam ad valetudinem repertas, quam excogitatas ad pompam (quasi Medicina artium præstantissima, alieno & fucato illo splendore indigeret) nullo nomine cardiacas, titulo quidem speciosas, sed effectu inanes, quæque ad morborum curationem non magis valent, quam nænia præfixa ad excitandos mortuos. In hoc censu aurum repono, nulla alia qualitate cardiacum, quam quod mentem exhilaret.

TOTVS hic Orbis valetudinarium est, in quo non omnes decumbunt ægri, sed eorum multi pro sanis ambulant: pauci morbum suum vident, omnes amant: totus mundus scenicum est theatrum, in quo quisque suas partes agit, donec choragus educat è proscenio, & ubi *τοὺς ἀνθρώπους* *ἀπὸ τοῦ θεοῦ*: quippe hominem tot vndique circumstant morborum idææ, ut ab illis vix momento sit liber. Nonnulli certis sæculis prodeunt, occidunt, ut Gemursa: & patrum memoriâ, certis Europæ regionibus cum Ægypto commune malum, quod cum olim in Reges incidisset, populis erat funebre, crudeli & inuiti remedio, balneo ex humano sanguine parato: nec verò utilior *ἐν τοῦ ἀνθρώπου*, sed nec hydrargyrus, fatuæ Chymistarum gentis Idolum vanissimum. Quidam infausta peregrinatione huc illuc vagantur: sic luem illam Italicam, horrendum scortatorum flagellum, Europæis India, Indis vicissim variolas misit Europa, altera a'teri malas merces. Habet unaquæque regio priuata comoda, sed habet & priuatos morbos: sic Hispaniam infestat Struma, Poloniam Plica, Parisinos Catarrhus *πυλιδίτις*, Tussis, & Calculus; Anglos, Lusitanos & Bearnenses, *ἀνάνη*, siue morbus exsicicans, qui prorsus idem est cum Phthisi, nec est aliud quam morbus materiæ Fernelij, & marcor pulmonis: sic Balthici maris accolæ Scorbutus, sic Narbonenses, carbunculi frequentes, Romanis Consulibus ac Purpuratis æquè fatales. Tempestatum vicissitudine morbos quos creât singu-

Ja, non tam deponimus, quàm mutamus. Hyems scelerato frigore necat, Ver morborum infinito numero. Aestas immodica siccitate, vitæ principia depopulatur. Autumnus Libitinae quæstus acerba fructuum proventu morbos creat atrocissimos. Ipsi quoque humores quam debent fovere sanitatem, sæpenumero labefaciunt. Ita sanguinei ab incrassato vel arefacto sanguine, desipientia obnoxij. Pituitosi, asino tardiores, & hyeme Gallica frigidiores, nihil aliud sunt quàm ἡ τῶν αἵθρων ἀγρὸς ἀγροῦν. Melancholicis misera est atque infelix vita, quoniam imprimis dormire non possunt, etiamsi maximè velint: tum etiam quia eaufarij, pertinaces, omnia tuta timentes, atris tenebris & carcere caeco conclusi, nigri humoris potenter dominantis ἀνωμαλία, vulgo Medicorum crucem figentes: eo solo felices habendi, quod sint providi futuri. Soli biliosi, si temperati corpore, mente valeant, ingeniosi, fortes, optimi, heroes: si intemperati, leves, inconstantes, crudeles, ferae, Tyranni. Quid multa? etiam morbus est aliquis per sapientiam mori: morbis enim quoque quasdam leges Natura imposuit. Vere vix incipit Quartana, quæ ubi autumnalis, fere annua est, aut lethalis. Pestis Mauritaniae vastatrix, parcit Occidentali Æthiopiae licet fervidissimæ, minimè senibus, ut somniavit Plinius: at ubi affligit, qualiacumque adfuerint symptomata, nunquam ante coctionem purgantibus oppugnanda, eludit amuletorum omnium vim, & quæ occultâ virtute agere falsò circumferuntur. Quidam in servitia sæviunt morbi, quidam & in procures, ut mentagra olim nobilium pœna: Sed & qui separantur sexu, separantur & morbis. Viri, esto sciant quantum possit vnus Vterus, certè non experiuntur. Hæmorrhoids viris interdum purgatio, interdum ut & mulieribus morbus est. His aliàs pepercit Arthritis, nunc familiaris, non mutatâ naturâ, sed vitâ, scilicet beneficium sexus sui vitis perdidit, & quia feminam exuere, damnatae sunt morbis virilibus. Ex morbis quoque aliqui totius sunt corporis, ut febres. ferè à bile omnes, quarum aliæ quino & septeno circuitu repetunt, aliæ quotannis natali die: Aliqui singularum sunt partium, quæ & communibus tentantur morbis, ut omni intemperiei & tumorum genere, inflammatione, abscessu, vulneribus (quorum medelam nihil promovet vnguentum hopiatricum: nec militaris ille pulvis sympathicus) & seorsim quoque propriis exercentur affectibus. Inter capitis vitia sunt cephalæa, phrenitis, melancholia, (quæ nihil aliud est quàm perturbata animi mens, cum mœrore metuque: aut acerba mentis intemperies, quæ nec parvis, nec abjectis ingeniis accidit: imò ferè semper est ἡ ψυχῆς πᾶθος, & imaginofus quidam animi morbus, qui omni medicinâ, saltem violentâ, solet efferari ac exacerbari; vertigo, lethargus, typhomania, fatuitas, epilepsia, paralytis, apoplexia, quam inducit, tabacocapnia, irritat excitata febris, insanabilem reddit Vinum ex Stibio, verè stygium & tartareum venenum, inhumanum & lethale Paracelsi & Agrytarum inventum, cuius maleficio non tam fordes eluuntur, quàm venæ aperiuntur, & viscera diserpuntur. Ita quæ in eo sedem habet facultas animalis non tot se prodit functionibus, quot patet injuriis. Multis modis, sed maximè imperitis illudit Incubus, quem inepti nonnulli in spectra, nocturnos lemures, lamias, & sagarum ludibria stolidè rejiciunt. Oculi, animi index, pars tantula, tot sustinet morbos, ut nedum

constet de numero. Nasum obsidet putre vlcus, Ozæna dictum, quo qui laborant, ipsi tum sibi graveolent putiduli, tum vicinis retri spiritus contagione molesti sunt. In illis puris ac credo tenella ossa arrodit atque exedit insigni deformitate, exesumque palatum sæpe perforat. eiusmodi vlcus ferè carcinodes est, aut venereum, aut strumofum, aut elephanticum. Plura dicam: animum ipsum ex nasi purulentia infici volunt Physiognomones, unde illis est axioma; corruptum nasum sequitur corruptio morum; quod est probabile: ex isto enim nasorum genere, qui rancidulo ore loquuntur, hoc est, *ἀνδρὲς ἰδιόχρηστοι*, vulgo nebulones sunt, mendaces, maligni, invidi, ridiculi, effrænes, nefarii, ardeliones, vafri, dolosi, obscæni, turbulenti, quadruplatores, flagitiosi, infames, contumeliosi, toculliones, facinorosi, nulla virtute redempti, à vitiis ægri, solâque libidine fortes, industriâ ficti & à Natura facti ad fraudem & calumniam. Ut ut sit, miseri homuli medicinâ indigent, sed violentâ, ferro & flammâ. Ex tot affectibus qui Thoracis ambitu continentur, caue ab hæmoptysi & inflammatione Pulmonis: nec minùs lethales sunt hydrops thoracicus (quem pulmonei pedes demonstrant, quemque hydragogon vfu tollere qui nititur, tortorem agit non Medicum) angina vera, pleuroperipneumonia, empyema, nisi statim fiat sectio: crudum tuberculum, naturâ sua immedicabile, cuius index est pulsus intermittens & inæqualis in omni genere inæqualitatis, Cordis palmos à grumo sanguinis, ut & phthisis, & vomicæ putres, ab his enim subitæ mortes, atque intestata senectus. Cor quibus lienosum est, salit sæpe, & momento interimit. Reverâ Ventriculus plurimis vrgetur symptomatis, nec ferè multo paucioribus morbis: at, quæ illi passim tribuitur Imbecillitas, nudum & inane nomen est, cuius curationem frustra per adstringentia moluntur empirici, divinæ artis quam profitentur, ignari. Iecur viscus est fecundum humoribus, magis verò morbis: ab hoc ferè equuleo magis formidandus crudelis Rheumatismus, qui sudorificis exacerbatur. Quæ sit vis Lienis, quot morborum sit author, discite ex hypochondriacis & insanis. Vterum divinam luxuriantis Naturæ favissam, penè infiniti malè habent affectus, in quibus familiam ducunt atque supereminet, inflammatio, cancer, *ποῦς γυναικείος*, abortus, vlcus, *μυῖς εὐαρίη*; quòdque omnem propè fidem superat, strangulatus, adeo terrificus, ut eo correptæ, dyspnœa præfocante, faucium intumescentiâ, & membrorum concussione, à malè morato vtero, stultis & credulis temerè judicantibus falso putentur *δυσμηνόζαρθαι*. Pudendarum partium magis pudendos morbos, pudor hîc non sinit adscribere; vel ipsa Vrethra, si fascini, sanè non est morborum expers: adstites glandulæ gonorrhœam fundunt virulentam, vbi tetri virus afflatu inflammantur, ut ea de causa huic etiam inveteratæ, pulchrè medeatur venæ sectio è brachio, quæ lucem veneream numquam excitavit, quidquid garriant imperiti Medicelli. Per naturam Homo homini Lupus, ut per Medicinam homo homini Deus: etiam homini multa à seipso mala, sed & multa ab alienis animalibus intus forisque grassantibus, quosdam enecat nepa, alios rabies, quæ ut in cane & lupo, quidni & sponte excitari possit in homine? & verò etiam aliqua sinu suo fovet in perniciem: quippe nascuntur in venis dracunculi, ferè vbivis vermes, qui & eminguntur & emunguntur. Ipsi pediculi Regibus, Philosophis & Tyrannis vitam ademere: aliis serpentes, qui interdum

magnâ copiâ erumpunt è corpore. Scire vis an aliqui quoque sint ætatum morbi? totam vitam tracta.

PVNCTVM est quod vivimus, vel puncto minus, & tamen Natura intam angusto plures posuit gradus. Vix concepti & inchoati hominis signa sunt mille matris tædia (tam magno empta brevis voluptas) pica, incubus, spasmus: & puræ mulieres id facilius sentiunt quàm impuræ. O frivolum hominis originem! sæpe Vterus ei pro tumulto est, & plerumque vel abortûs causa fit odor à lucernarum extinctu. His principiis nascuntur & Tyranni, & Heroës, ab illis nihil dissimiles, quibus interdum ante mortem erumpunt vlcera, qualia olim Lyfandro Laconi, à nigra bilis dominatu. Est & ubi velut ante miseras miser, in vtero eiulantis vocem emittit. In partu quid non metuendum ab imperita obstetrice? & à partu, quid non ab aliena nutrice? quamquam nec tutum puerperæ lac, à quo fiunt colostrati infantes, quemadmodum à biliosæ nutricis lacte calculus. Ut hoc maternorum viscerum latens onus spiritum ducat, penè mater expirat. Pudet referre quàm immeritò natalium nobilitate gloriantur homines: scdum, sed tamen verum, nonnumquam ipse Vterus prurit ac ebullit vermibus, ut cum iis ceu cum gemellis, eadem sint Tyrannis ortûs incunabula. Natus homo, Solstitialis velut herba solet, aut ostenditur simulque rapitur, aut primum vitæ tempus dat lacrymis tam iuste cadentibus, ut hoc ipsum flere nascentis sit: strictos subinde gladios experitur, imò nec sine his in vitam asseritur: mox quæ ne feras quidem inter nos genitas, illum excipiunt vincula, quem aliquando non capient regna. Vide an in ætate nostra quod optimum primum est? v-*sci*, fari, ingredi nescit animal cæteris imperaturum, & hanc vitæ partem quadrupedi similem facit. Neque interim tam teneris membris parcunt morbi, sed pusionem vel adhuc à matre rubentem adoriuntur. Palpitans vertex achoribus, hydrocephalo & siriasi premitur, aures humiditate diffluunt. quarum vicinas glandulas prauâ *επιρροή* opprimunt parotides, vera merâque *βλασφημία τῶν ἐνόντων*, vix vnquam bonis agrorum rebus apparentes, nisi geminæ fuerint, ut Dioscuri solent, prosperi cursus nanigantibus prænuncij. Nondum firmum cibus os aphthis scatet: pulmo quintana tussis, ferina & contumaci, à fero maligno & *ἀπερμύνη* venis exsudante: Ventrículus vomitu rumpitur, aluum vexant tormina, Umbilicum inflammatio, mentem vigilæ & pauores. Dentientem torquent convulsiones, gingivarum pruritus, febres, & diarrhœæ. Natu maiori inflammantur tonsillæ, luxantur vertebræ, generantur in intestinis lumbrici, amaris semini- bus, acidis, oleaginosi, aut mercuriali aqua necandi: solis verò purganti- bus ex aluo deturbandi: in Vesica calculus, nullo *λιδοντεῖ* frangendus: asthmata neque emeticorum, neque diureticorum usu curabilia: strumæ, quæ si ulceratæ fuerint, malignæ, contagiosæ & immedicabiles habendæ, nisi vis maior & Metaphysica, nempe Christianissimi Regis salutare manus interuenerint: toto corpore scabies & furunculi, ad quorum medelam vnica *ἐπαρσις τῆς ψυχῆς*. Pueritia adeo morborum ferax est, ut nullus optet ad eam reuerti. An etiam quia tunc desideratur sapientia! quæ numquam præcox vel si barbam antecæat? Per hanc hæmorrhagiæ & febres diu- turnæ affligunt, & qui morbi ea ætate non solvuntur, & inueterascere so-

lent, & obfirmari: nec attinet quod tum maximè sequax corpus luculentum capiat incrementum: posse crescere, nōne imperfectæ rei signum est?

QUÆ sequitur ætas licet temperatissima sit, ac iam pueritiæ vitia desummarit, pessimos tamen affectus inuehit, cuiusmodi sunt morbus major, nonnunquam à flatu, tabes, cruentæ spuitiones. Cum in viros euasere, pulmo infestatur peripneumoniâ, thorax pleuritide, deterioris in sinistro latere ominis, alius lienterîâ, diarrhœâ & dysenterîâ, quæ melius detrimentum diceretur, utpote in qua deteruntur intestina in propria substantia: & cuius, si vera fuerit, quatuor sunt signa pathognomonica; ut nimirum sit cruenta, dolorifica, frequens & pauca deiectio: Morbus interdum acutus, semper grauis, in hepatis *δυσίαν* desinens ut plurimum, vel in gangrenosin intestinorum, quæque tantum per accidens & secundariò afficiuntur, cum prima mali labes sit in mesenterio, pernicioso abscessu, aut inflammatoria quadam dispositione obfesso: cruciant demum cævus & cholera, cum sub pectore mascula bilis inuuit, quam vix extinxit vna cicuta; quorum soli atque legitimi vindices sunt venæ sectio & frigida potus. An prodest illa virium firmitas? tardum dictu, sub quam cute lateat beatum ingenium, nam & animi vigor cum corporis viribus minuitur, & nimio robore membrorum hebescit, quasi supra mortalem sit felicitatem, eundem & valentissimum esse & sapientissimum. Inclinate ætate bilis atque fit preuentus; vnde Quartana non minus infortunata, quia biduo medio interuallatur, & in qua *μία μνῆσα, δ' ὅ μνῆρες* ex Phauorino, cum sit iuuenibus tormentum, senibus mors, cōque citius si continua fuerit: malum contumax & ferè plusquam corporeum, cuius curationem frustra suscipias pauore, maleficio, vomitu: imò nec purgantium usu, nisi præsentē *παλαιῶ*: ob id quoque sanguis, qui aliàs (pumanti ore euomebatur, per anum fluit, idque maximè *ἐκ τῆς ἀκροποσίν*. Interea obrepit non intellecta senectus, expectata diu, votisque optata malignis, quæ tamen innumeris corpus lacerabile morbis obicit: mala merx, mala ætas, & adhuc iuuentutem cogitantibus supra caput est: nihil habet quod speret, quem illa ducit ad mortem: huic vni intercedi non potest. Cum vniuerso pondere incubuit, nullo genere homines atrocius moriuntur, sed nec diutius: inde est quod nec viuere nec mori volunt: vitæ illos odium tenet, timor mortis, qui quoties mentem percutit, palpitantibus præcordiis viuunt, maximè si climactericus annus, sapienti nequidquam formidabilis. Eheu nos miseros, quàm totus homuncio nil est! Quanta senem circumveniunt incommoda? tunc enim floret amygdalus, impinguatur locusta, dissipatur capparitis: mors illi est requies, viuere pœna grauis. Tunc aduenit abeundi tempus è vita, quam reposcenti Naturæ ut debitor malæ fidei redditurus non tam exultat quàm mœret animantium omnium miserrimus: & tanquam inexercitatus histrio, in postremo fabulæ actu ridiculus concidit. Siccum & vacuum cerebro caput subjectas partes humoribus obruit, tentatur & vertigine, quæ ut præit apoplexiam, ita hæc si soluitur, ferè in paralyfim definit. En senibus vitæ portio quanta manet? hebescent sensus, cum voce tremantia labra, in facie pallor, madidi que infantia nasi: si libros repetit, duplex se littera findit; eripitur sine nocte dies, nisi succurrant oculi vitrei; præmo-

ritur odoratus, auditus, incessus, exangui & funereo Euclyoni dentes suis excussi alveolis balbutiem pariunt, Thoracem quatit prava tussis, ut & Suspirium, non minus æque quàm Philosophia, meditatio mortis nuncupandum: renes & eorum ductus carnifex calculus, vesicam dysuria, (quæ si contumax fuerit, solâ sectione ad perinæum curabilis) artus *ῥαχιδὸς πόνος*, articulos lapidosa chiragra, nodosa podagra; imo interdum assiduo agrorum cruciatu, *πυράγχα*. Si copiosus sanguis Cor obruat, sive ille concreverit, necne, cardiaca Syncope statim suboritur, à qua subito suffocatur animal, eodem modo quo Apoplectici: istam nulla valet Medicina repellere pestem, nequidem artes Dardaniæ: imò nec ipsa Salus siccupiatur. Etiam gelidus sanguis cutem vrit pruritu & maligna impetigine: totum denique corpus non antè torqueri desinit, quàm dolore sensum doloris amiserit. Hæ sunt primitiæ mortis, sic illis defluit ætas, quæ poena est totum quod vivunt: qui acerbis dolorum suppliciis penè confRACTI, & assiduis cruciatibus sapientes facti, illud ad Midam Sileni verissimum experiuntur, optimum esse non nasci, aut quàm celerrimè mori. Accedit omni membrorum damno major dementia: nam senibus exprobratur infantia, quasi pars summa vitæ, vitæ ipsius fæx sit: pauci quippe sunt, qui cum sentiant ætatis injuriam in corpore, non sentiant in animo, vixque tum mentis oculus acutè cernit, cum corporeus deflorescit: at certè multis iners vita sine usu jacet sui, ita ut sibi sint odio, cæteris graves, tum nihil optabilius, quàm quæ est in propinquo mors, omnium dolorum & solutio & finis, vltra quam mala nostra non exeunt, optimum Naturæ inventum, omnem mœrorem auferens, & supra Homericum Nepenthes potentissimum pharmacum, à Diis immortalibus quibusdam piissimis tanquam summum præmium indultum & persolutum, vnica tot ærumnarum clausula, & vltima vitæ linea. Quæcumque enim & artes moliuntur, & parit Natura, vna mors hæc sibi vindicat: stant ut ruant: vivunt, ut obeant: huic extremo discrimini servatur Orbis, & singula omnia quæ Mundi sinu coërcentur. Ita nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Ergo totus Homo est à Natura morbus.

Proponebat Lutetiæ PAVLVS COVRT OIS, Meldenfis.
A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTVRI.

M. Robertus Debonnaire,
M. Martinus Abakia, Pr. R.
M. Durandus Franciscus Tom.

M. Leole Tournours.
M. Nicolaus Cappon.
M. Nicolaus Richard.

M. Hermannus de Launay.
M. Philippus Harduinus de S. Jacques.
M. Heias Beda.

PARISIIS,

Prostant Exemplaria apud I. BAPTISTAM NEGO, Typographum,
ad Pontem S. Michaelis, à la Tour de Billy, 1666.

cette thèse est la 920^e. du ^{total} ~~total~~ ^{total} VI infolio
des thèses de la faculté. —

A la suite de cette thèse, la Lettre de Bertrand (Rom. I et II) est citée en russe
sur f. 2. Malheureusement 1797 à 1876, signale une thèse de Marcellin Monnier
Au Libraire même? 1848.

rebatu a lui q. n. a numeratelor de these laute de 37 a 39.